

Cap. 32 [De duabus mulieribus, quae per merita beati Conradi a dolore pariendi liberatae sunt]

In partibus Wederbiae duae erant mulieres ex una villa Vetinheim²² appellata, quae vicinae partui magnis fuerunt molestatae angustis et tempore partus tantis pervasae doloribus, ut infantum futurus ortus matrum videretur esse praesens occasus. Illico convertentes se ad auxilium beati Conradi dixerunt: „Beate Conrade, adiuva nos. Tibi hoc mente vovemus, quod modo prae dolore explicare non possumus.“ Mirum certe invocato nomine beati Conradi maledictionis primae temperata est miseris conditio, ut cessante omni pressura partus ederent cum salute. Nec fuerunt immemores voti et beneficii. Monasterium Hegene devote visitaverunt et grates altissimo pro beneficiis obtulerunt. Nec solum beatus vir dolorem a parturientibus fugavit, sed etiam infecundis mulieribus fecunditatem a domino impetravit.

Cap. 33 [Beati Conradi invocatione sanatur claudus]

Claudus quidam mendicus ostiatim victum comparare nequiens in nostro hospitali fuit longo tempore educatus. Hic aliquando scabelulis suis repens et post se crura trahens ad sepulchrum, in quo iacent beati viri ossa, pervenit firma spe animatus recuperandae sanitatis. In quo loco nunc oravit, nunc ploravit, suspiria et gemitus emittens solis genibus suis idem sepulchrum circumgyravit, postea interna spe suffultus sic aiebat: „O bone domine Iesu, tu nosti, quod de bonitate tua plene confido. Ergo hinc non discedam, nisi prius ob honorem servi tui Conradi me sanum facias.“ Et paululum expectans primo se erexit, inde paulatim incessit, postremo exiliit et ambulavit ambulans et laudans deum, acsi manu beati Petri apostoli erectus fuisset.

Cap. 34 [Mulier fluxu sanguinis laborans sanatur]

In vicinia nostra erat quaedam mulier sanguiniflua, quae novem annis dysenteriam passa nullo potuit remedio sanari. Haec in magnanima spe monasterium Hegene visitavit rogans dominum Iesum cum lacrimis, ut, sicut tactu fimbriae vestimenti sui restrinxit fluxum sanguinis mulieris evangelicae²³, ita et ipse ob meritum servi sui Conradi eam ab hac tortura sanguinis sanare dignaretur. Et completa oratione se invenit ab infirmitate sua omnimode sanatam. Ergo cum magna devotione

22) *Vielleicht verschrieben für Fechenheim bei Frankfurt.*

23) *Vgl. Matth. 9, 20-22; Luc. 8, 44.*